



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Amico Adolescenti ad primam bellicam expeditionem magna animi
alacritate festinanti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

AMICO ADOLESCENTI

Ad primam Expeditionem bellicam magnâ animi alacritate festinanti.

Ad Monendum.

AN erit tibi aded festinanti spatium, nostram ut Epistolam perlegas, Amice? Audio enim, quanto studio properes degustare inexperiti Martis primitias. Non es apud te præ gaudio, si quid communibus amicis creditur; ex quo præter ætatis tam teneræ conditionem tibi visendi hostis facta copia est. E quidem Amico gratulor alacritatem illam, quam præ te fers; illam comparandæ gloriæ & illustrandi nominis, dignam inclytis Majoribus, quibus ortum debes, cupiditatem. Neque verò in tanto armorum apparatu, populorûmque concurrentium æstibus deerit ingens rei bene gerendæ locus; quo, nihil ego vereor, ut viriliter utaris, si modò felicem ex omni parte exitum mihi spondere liceat. At nôsti armorum ancipites casus; scis rem tibi fore semper cum cæcâ, temerariâ & insolenti sorte, quæ superbos etiam triumphos vertere funeribus amat; quam nobilitas, animus, virtus ipsa non movet; cuius austeritatem nulla amicorum vota, nullæ preces inflectant. Proin noli tuæ te virtuti sic permittere, ut cavendum tibi non putes, & ardorem animi, quo flagras, sagacitate atque prudentiâ non temperandum. Memineris nondum esse te juris tui penitus; sed præstandum esse te

sal.

salvum & incolumem nobilissimæ familiæ, quæ suas in te spes habet, quæ peritura tecum sit, nisi illam suscites ac fulcias. Vitabis igitur istud discriminum genus, quod inconsulti Juvenes lacerant plerumque sine imperio, sine fructu, sine gloriâ: in quibus, vel dum pereunt fortiter, nemo est, qui imprudentiam non arguat, stultitiam non accuset, ne dum extollendam fortitudinem, & invictum animi robur collaudandum arbitretur. Hæc te retrahere tecum velim, dum erit opus, unde documentum capias, quod ex usu tibi sit. Interim ego non cessabo pro te vota facere; ac si quid nostræ valebunt apud Superos preces, redibis ad nos salvus ac sospes, & singulari gaudio amicum inter paucos tui studiosissimum cumulabis. Vale & vive.

AMICO LAUREATO.

Gratulabunda.

Felicem ô, nec tibi magis quam mihi fortunatum diem, Charissime, quo latissimo totius urbis in confessu, tubisque accinentibus ac resonantibus tympanis datus in Theatro tibi plausus est! Quis tunc fuit, amabo, animi tui sensus, cum amplissimi Theatri scanderes ardua, & multiplici revinctum laureâ caput universæ multitudini ostentares? Dic, inquam, per Superos precor, ne pigeat istud enarrare nobis. Quanquam quid ego modestiam tuam frustra sollicito, cum animum tuum ex meo spectare liceat? Possum enim verò ex me ipso, Amice,
face-